

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

---

1989

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM COUNCIL  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum . . . . .	107
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos . . . . .	109

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicunque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur . . . . .	112
Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur . . . . .	113

### SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

Declaratio. De foro plerarumque probationum . . . . .	114
Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam . . . . .	117

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II) . . . . .	119
II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio III) . . . . .	137
III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio IV) . . . . .	165
IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio V) . . . . .	205
V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio VI) . . . . .	246
VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI) . . . . .	274
* * *	
Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	316
Notitiae . . . . .	317
Index Rerum Generalis . . . . .	319

II

COETUS STUDII  
« DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »

(OLIM « DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIBRI II »)

**Sessio III**

(diebus 5-9 novembris 1968 habita)

Diebus 5-9 novembris 1968, in Aula huius Pontificiae Commissionis III<sup>am</sup> sessionem studii habuit Coetus Consultorum « De personis physicis et moralibus » (olim « De Quaestionibus specialibus libri II Codicis »).

In conventibus partem habuerunt Exc.mi tres, Rev.mi quattuor et Ill.mus unus Consultores. Adfuit et Rev.mus Bidagor, Commissioni Secretarius. Legitime impeditus adesse non valuit Exc.mus unus Consultor. Munere Relatoris functus est Rev.mus Onclin, Commissionis Secretarius Adjunctus. Acta rededit Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis.

Quaestiones hac in sessione pertractandae duae sunt, nempe:

- 1) De personis moralibus seu canonicis in genere.
- 2) De actibus iuridicis.

Antequam incipiat deliberatio quaeritur num aliquis adstantium animadversiones habeat proponendas in Relationem conclusivam praecedentis sessionis, quae omnibus Consultoribus huius coetus congrua antelatione tradita est.

Nulla fit animadversio et Relatio unanimiter approbatur.

I

SCHEMA CANONUM PROPONITUR  
DE PERSONIS MORALIBUS SEU CANONICIS

Canones qui, iuxta deliberata in praecedenti sessione, proponuntur — animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. — generalia tantummodo continent praecripta, ulterius in Codice applicanda; nullius ideo communitatis vel instituti in individuo personalitatem canonicam determinant.

*Canon 1*

Textus qui proponitur ita sonat:

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae canonicae (vel: iuridicae), publica auctoritate constitutae ut subiecta in ordine

canonico obligationum et iurium quae earum indoli iuridicae congruunt.

Dicitur « personae canonicae » — explicat Rev.mus Secretarius Ad. — ut distinguantur a personis iuridicis civilibus. Non adhibetur expressio « personae morales » quia praeter illas quae hanc personalitate habent ex se, ex ipsa natura sua, adsunt etiam personae iuridicae quae hanc personalitatem ex se non habent sed ab Auctoritate ecclesiastica personalitate canonica donatur.

Rev.mus primus Consultor, cui accedit Rev.mus secundus Consultor, cum hac distinctione non concordat. Ad eius mentem omnes eae personae dici debent morales. Si fidelis habet inter iura fundamentalia — ait Rev.mus primus Consultor — ius associationis ad bona spiritualia prosequenda, omnes associationes quae constituantur personalitatem moralem habent natura sua. Ipsae consociationes non costituuntur ab Auctoritate ecclesiastica sed a fidelibus; auctoritas publica in Ecclesia tales associationes recognoscit (sicut accedit in matrimonio), sed recognitio non est constitutio. Sunt ergo personae morales natura sua, antecedentes omni legislationi positivae, sive ecclesiasticae sive statali, alioquin ad nihil valeret ius associationis.

Obiicit Rev.mus Secretarius Ad. quod si non recognoscuntur ab Auctoritate personalitatem iuridicam non habent.

Non « recognoscitur » haec personalitas — respondet Rev.mus primus Consultor —, sed eam de facto habent, quia fideles tales personas constiuerunt iure utentes associationis.

Exc.mus tertius Consultor dicendum esse censet hoc in casu haberi utique « personalitatem moralem », sed si associationes ab Auctoritate publica non recognoscuntur, tunc non sunt « personae iuridicae », seu in ordine canonico receptae.

Nihil dicamus — ait Rev.mus quartus Consultor — de doctrina disputata quoad naturam, etc., personae moralis. Nulla theoria ex diversis quae exstant in lege recipiatur. Quaestiones tantum practicae solvendae videntur, et praesertim quomodo universitas sive personarum sive rerum fit persona in ordine canonico. Quoad terminologiam, expressio « persona iuridica » ad ius civile magis appropinquatur, ideoque facilius a guberniis haec personalitas recognosceretur.

His accedit Exc.mus quintus Consultor dicens vocem « iuridicam » vel « canonicanam » sensum clarum habere, dum vox « moralis » minus intellegetur in iure positivo statali.

Ad mentem Ill.mi sexti Consultoris duae praesertim exstant quaestiones, quae attendendae sunt exarando canone:

- 1) quaestio substantialis, nempe, ut ius canonicum tueatur naturam et libertatem entium quae legitime constituuntur;

2) quaestio formalis, nempe notiones technicae iuridicae, a notione theorica personae moralis diversae, quae adhibendae sunt ut talia iura apte protegantur.

His praemissis, Ill.mus sextus Consultor dicit sibi placere ut dicatur «personae iuridicae seu canonicae», sed expungendam censem expressio nem «publica auctoritate constitutae», quia actus recognitionis ex parte auctoritatis eis re vera existentiam non dat. Sequentem ergo textum proponit: «... sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta nempe obligationum et iurium quae ipsarum naturae congruunt».

Diversae aliae proponuntur quoque formulae, scilicet:

«... praeter personas physicas, sunt etiam personae morales quae iuridicae dicuntur quando ab Auctoritate publica agnoscantur...» (Exc.mus tertius Consultor, cui accedit Rev.mus primus Consultor).

«... sunt etiam personae morales quae fiunt iuridicae quando ab Auctoritate publica agnoscantur...» (Rev.mus Secretarius Ad.).

Contra duas ultimas formulas animadversionem movet Rev.mus quartus Consultor dicens eas aliquo modo recipire theoriam quamdam personae moralis. Quid significat — quaerit Rev.mus — personalitatem moralis tantum habere? Persona moralis non recognita, id est si adhuc ipsa non sit subiecta iurium in ordine canonico, nihil est in iure. Se dicit ergo magis stare pro formula proposita ab Ill.mo sexto Consultore.

Prosequitur adhuc discussio, cuius in fine Rev.mus Secretarius Ad. ad mentem Ill.mi sexti Consutoris sequentem proponit textum emendatum:

«In Ecclesia, praeter personas physicas sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt».

Facta suffragatione, eius exitus est:

Placet n. 8 (Exc.mi tertius, quintus ac septimus; Rev.mi quartus, octavus et Ill.mus sextus Consultores; ac Rev.mi Secretarius et Secretarius Ad.).

Non Placet: n. 2 (Rev.mi secundus ac primus Consultores).

Antequam transitus fiat ad alium canonem, Rev. mus Secretarius memorat possibilitatem essendi personas morales de facto, quibus quaedam iura recognoscuntur — e.g. in iure italic —, absque erectione vel constitutione ex parte auctoritatis publicae.

Etiam Rev.mus quartus Consultor animadvertisit in Ecclesia adesse entites, quae quaedam habent iura et obligations (e.g. tribunalia, Curiae episcopales, etc.) quaeque personae morales non sunt in sensu hodierni Codicis.

Cum his dicit se concordare Ill.mus sextus Consultor, qui adiungit hoc exclusum non videri in formula approbata.

Idem censem alii Consultores, quibus accedunt Rev.mi Secretarius et quartus Consultor.

Textus canonis servatur uti suffragatus est.

*Canon 2* (cfr. can. 100 CIC)

Formula a Rev.mo Relatore, idest a Secretario Ad., proposita ita sonat:

In iure Ecclesiae, quae quidem ipsa divina sua Istitutione rationem personae moralis habet, personae canonicae costituuntur (vel: constitui possunt), sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concesione per formale decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendit, constituti.

Ill.mus sextus Consultor expostulat ut deleantur verba «quae quidem ipsa divina istitutione rationem personae moralis habet». Hic agitur — ait Ill.mus Vir — de notione technica personalitatis iuridicae, et ipsam applicare Ecclesiae non congruit. Ecclesia enim non est tantum «persona moralis»; ipsa divina institutione Ecclesia est Corpus Christi mysticum, Sacramentum salutis, congregatio fidelium, etc.

Huic propositioni ceteri accedunt Consultores.

Ait tamen Rev.mus quartus Consultor tria entia (Ecclesia, Apostolica Sedes et Collegium episcopale) adesse ex ipsa institutione divina, quapropter — ita Rev.mus — dici debent personae morales ex ipso iure divino.

Rev.mus Secretarius Ad. et alii negant quod Apostolica Sedes «dici debeat» persona moralis ex iure divino. Haec est quaestio disputata. Non desunt praeterea canonistae ad quorum mentem potestates traditae sunt Petro ceterisque Apostolis tamquam personis singularibus et idem dici debet de eorum successoribus.

Facta suffragatione, placet ut deleantur verba ab Ill.mo sexto Consultore oppugnata et etiam, proponente Rev.mo secundo Consultore, verba «In iure Ecclesiae», quae praecedunt.

Rev.mus octavus Consultor delendam esse censem expressionem «in finem spiritualem», quia non videtur necessaria. Animadversio tamen non admittitur, quia — uti dicunt Rev.mus Secretarius Ad. et alii — Ecclesia certo certius non potest personas iuridicas costituere pro finibus temporibus, et ideo melius est ut hoc clare appareat in textu.

Proponente Rev.mo Secretario Ad. accipitur ut in initio canonis dicatur «Personae iuridicae» (loco «canonicae») et «costituuntur» (loco «constitui possunt»).

Quaerit Rev.mus octavus Consultor utrum concessio ex parte auctoritatis, de qua fit sermo, in scriptis dari debeat, et si sit ad validitatem. Cui respondet Rev.mus Secretarius Ad. huiusmodi concessionem dari « per formale decretum » ideoque in scriptis, et quidem ad validitatem, quia agitur de actu constitutivo.

Denique Rev.mus quartus Consultor quaestionem ponit mere linguisticam nempe ut vitetur repetitio verbi « constituere » (« ... constituuntur... constituti »).

Approbatur ut in fine canonis dicatur « ordinati ».

Textus ergo emandatus qui, suffragatione facta, recipitur ita sonat:

« Personae iuridicae constituuntur, sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concessione per formale decretum data, sive communites personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singolorum finem transcendit, ordinati ».

*Canon 3* (cfr. can. 99 et 100 CIC)

§ 1. Personae canonicae seu iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae ex tribus saltem personis constare debet, potest esse sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus aequalium, cuius membra aequali iure, ad normam iuris et statutorum, actionem communem determinant, sive indirecte, cum nempe aliquibus membris potestatem suam demandent.

§ 3. Universitates rerum constant bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, easque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive personae physicae sive Collegium personarum.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor, quoad § 2, utrum condicio posita, nempe ut universitas personarum « ex tribus saltem personis » constet, requiratur necne ad actum erectionis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hanc condicionem requiri ad actum constitutivum cuiuscumque universitatis personarum. Quapropter claritatis causa proponit, et accipitur, hanc textus emendationem: « ... quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis... ».

Difficultatem movet Rev.mus quartus Consultor contra expressionem « coetus aequalium », et in concreto ut haec aequalitas absolute requiratur pro omnibus personis collegialibus. Per respectum ad Notam praeviam Const. dogm. *Lumen gentium* hoc est quidem verum. Attamen — arguit Rev.mus — in ordine iuridico collegia stricte dicta adsunt in quibus me-

morata aequalitas non datur (e.g. facultas theologica, quam constituant professores ordinarii, professores adstantes, etc., immo et studentes). Ipsum Collegium episcopale, in quo tamen membra sunt inaequalia, veros actus collegiales ponit, quia omnes, qui ius habent suffragandi, collegialiter agunt.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet facultatem theologicam non esse verum collegium, sed potius universitatem personarum non-collegialem. Ad collegium episcopale quod attinet ipsum dici non potest collegium stricto sensu, quia non aequo iure omnia membra gaudent; ea quidem ratione in memorata Nota praevia legitur: «Collegium non intelligitur *sensu stricte iuridico*, scilicet de coetu aequalium... Quapropter... de Duodecim dicitur quod Dominus eos constituit *ad modum collegii seu coetus stabilis*». Verum quidem est — concludit Rev. Secretarius Ad. — Collegium episcopale actus collegiales ponere, sed in iure possunt dari universitates personarum non-collegiales quae tamen collegialiter agant.

Cum his ceteri Consultores concordant.

Etiam Rev.mus quartus Consultor huic explicationi accedit, sed expostulat, et propositio accipitur, ut alio in canone haec vel similia dicantur: «actus collegiales non necessario requirunt exsistentiam personae collegialis in sensu canonis 3».

In fine huius § 2 ipse Rev.mus quartus Consultor delenda proponit verba «sive directe sive indirecte, cum nempe aliquibus membris potestatem suam demandant». Ad mentem Rev.mi, per haec verba aperiretur via ut ad personam physicam demandari possit actio quae iura singulorum tangit quaeque ex se collegialis esse debet.

Huic propositioni unanimiter accedunt Consultores, etiam quia verba de quibus agitur non videntur necessaria (Rev.mus primus Consultor) et quia de hoc aptius tractari debet in alio canone, e.g. in can. 7 § 3 (Rev.mus Secretarius Ad.).

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus suffragatione recipitur cum duabus supradictis emendationibus, quae approbatae sunt.

#### *Canon 4*

Textus propositus ita sonat:

§ 1. Personae canonicae in Ecclesia *publicae* sunt, tum universitates personarum tum universitates rerum, quae ab ipsa auctoritate ecclesiastica competenti eriguntur et dependenter ab eadem reguntur; ipso erectionis decreto personalitate canonica donantur.

§ 2. Personae canonicae *privatae* sunt universitates sive personarum sive rerum, quae a christifidelibus libere constituuntur, quaeque personalita-

te canonica donantur, sive ex ipso iuris praescripto, cum nempe conditio-  
nes adimpleant lege ad eandem consequendam requisitis, sive ex particula-  
ri concessione per formale decretum a competenti auctoritate ecclesiastica  
data.

Ad mentem Rev.mi quarti Consultoris distinguendae sunt personae  
iuridicae seu canonicae quae per formale decretum eriguntur in personas  
iuridicas publicas atque illae personae iuridicae quae eriguntur etiam per  
formale decretum, sed non uti personae publicae, quae vero postea speciali  
decreto personalitate donari possunt.

His accedunt Rev.mi primus et octavus, Ill.mus sextus et alii Consul-  
tores.

Animadvertisit Rev.mus primus Consultor de formis constitutionis per-  
sonarum iam actum esse in can. 2, quapropter in hoc canone 4 agendum  
tantum videtur de distinctione personas iuridicas publicas inter et perso-  
nas iuridicas privatas.

Animadversio recipitur.

Quoad verba § 1 « ab ipsa auctoritate ecclesiastica competenti erigun-  
tur et dependenter ab eadem reguntur », Rev.mus quartus Consultor me-  
morat personas iuridicas publicas existere quae utique ab auctoritate eri-  
guntur sed ab ipsa non reguntur, saltem directe, quia propria gaudent au-  
tonomia (ita e.g. capitula cathedralia, religiones, etc.).

Rev.mus Secretarius Ad. ita per exempla propriam exponit opinio-  
nem: consociato personarum est dioecesis, consociatio quoque persona-  
rum est societas Sancti Vincentii; dioecesis est quidem persona iuridica  
publica et ab auctoritate erigitur dum societas Sancti Vincentii est persona  
iuridica privata, quae a privatis erigitur. His pree oculis habitis, sequen-  
tem proponit textum:

« Personae iuridicae publicae sunt communitates personarum aut re-  
rum complexus, personalitate canonica donatae, quae ab auctoritate eccl-  
esiastica eriguntur eiusque nomine gubernantur ».

Obiicit Rev.mus quartus Consultor distinguendas esse quaestionem de  
gubernatione personarum iuridicarum et quaestionem de earum rationibus  
cum Ecclesia. Sunt enim quaestiones connexae sed diversae.

Ut vitetur mentio de forma gubernationis utque aliquo modo deline-  
etur natura personae iuridicae publicae, Rev.mus primus Consultor sequen-  
tes proponit formulas: « Personae iuridicae publicae sunt... quae intra pro-  
prium ambitum Ecclesiam repraesentant », vel « intra proprios fines nomi-  
ne Ecclesiae agent », vel « nomine Ecclesiae directe agent ».

Respondent tamen Rev. Secretarius Ad., Ill.mus sextus et alii Consul-

tore quod etiam personae iuridicae privatae nomine Ecclesiae aliquo modo agunt ipsamque aliquo modo rapraeesentant, quia illae non sunt extra Ecclesiam. Confundenda non sunt — aiunt obiicientes — verba « Ecclesia » et verba « Hierarchia », quia Ecclesia non est tantum Hierarchia, neque missio Ecclesiae reduci potest ad solum ministerium hierarchicum.

Cum his ceteri Consultores concordant.

Rev.mus primus Consultor tunc proponit ut dicatur: « personae iuridicae publicae ad bonum commune constituuntur; privatae vero ad bonum privatum ».

Hoc tamen negant Rev.mus quartus Consultor et alii, quia etiam activitates personarum privatarum ad bonum commune conferunt.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, et rogantur Consultores ut, omnibus attentis quae deliberata sunt, textum proponant emendatum canonis 4.

Formulae quae proponuntur sunt sequentes:

« Personae iuridicae *publicae* sunt illae quae personalitate iuridica dominantur personarum communitates ac rerum complexus, ab ipsa auctoritate ecclesiastica sunt erectae, quippe quae ab ipsa auctoritate ad munus sibi proprium intuitu boni publici adimplendum ordinentur; personae iuridicae *privatae* sunt tales communitates ac complexus, qui a personis privatis constituti sunt, quippe qui privatorum voluntate regantur et ordinentur » (Rev.mus Secretarius Ad.).

« § 1. Personae iuridicae seu canonicae *publicae* sunt, tum universitates personarum tum universitates rerum quae, ad fines proprios hierarchiae Ecclesiae consequendos, a legitimo superiore constituuntur et per formale decretum personalitate canonica expresse donantur.

§ 2. Personae iuridicae seu canonicae *privatae* in iurae nuncupantur universitates sive personarum sive rerum libere a christifidelibus constitutae ad fines qui intra Ecclesiae missionem includantur, sed ad competentiam specificam hierarchiae non pertineant, quaeque iuridicam personalitatem acquirant, sive ipso iuris praescripto, cum nempe conditions adimpleant lege ad eandem consequendam requisitas, sive ex particulari concessione per formale decretum a competentente ecclesiastica auctoritate datum.

§ 3. Si ecclesiastica hierarchia, in exercitio sua functionis suppletoriae, universitates sive personarum sive rerum promoveat, ad fines de quibus in § 2, et ipsae acquirant personalitatem iuridicam, naturam personae canonicae *privatae* retinent » (Ill.mus sextus Consultor).

« Personae iuridicae publicae sunt illae ob quas Auctoritas ecclesiastica munera sibi propria exercet, reliquae omnes, sive constituantur ab Aucto-

ritate sive a fidelibus, sunt personae iuridicae privatae » (Rev.mus octavus Consultor).

Sumitur uti basis disceptationis formula a Rev.mo Secretario Ad. proposita.

Notat Rev.mus quartus Consultor personas iuridicas adesse — e. g. dioecesis, religio, seminarium, nosocomium, etc. — quae sunt utique personae publicae ex eorum fine, attamen ratione modi agendi non omnes sunt aequales: quaedam nomine Ecclesiae intra proprios fines agunt, aliae vero non nomine Ecclesiae sed nomine coetus privatorum. Similitudo habetur in Codice quoad distinctionem inter cultum publicum et cultum privatum. Personae iuridicae publicae — concludit Rev.mus — aliqua deputatione vel representatione Auctoritatis ecclesiasticae agunt, dum privatae hanc deputationem vel representationem non habent. Omnes utique Auctoritati Ecclesiasticae subsunt, sed non eodem modo: privatae tantum subsunt generali iurisdictioni Hierarchiae, eodem modo ac singuli christifideles, atque in temporalibus non tenentur rationem reddere Auctoritati publicae.

Rev.mi Secretarius Ad. et octavus Consultor, Ill.mus sextus Consultor et alii denuo quaerunt quid significet expressio « nomine Ecclesiae », quae invenitur in supradicta propositione Rev.mi quarti Consultoris et quae adhibita antea est a Rev.mo primo Consultore. Confundenda enim non sunt — uti iam dicebatur — missio totius Ecclesiae atque munera hierarchica Sacrorum Pastorum propria.

Rev.mus primus Consultor respondet expressionem « nomine Ecclesiae » significare « nomine Auctoritatis publicae Ecclesiae ». Hoc in sensu personae iuridicae privatae dicuntur quae non « officialiter » seu nomine Hierarchiae agunt, quamvis propriam quidem habeant partem in missione unica totius Populi Dei.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. hanc novam proponit formulam:

§ 1. Personae iuridicae seu canonicae pubblicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab auctoritate ecclesiastica competenti eriguntur ac deputantur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitat donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens ».

Rev.mus quartus Consultor expostulat quoad § 2 ut personae iuridicae privatae tantum per formale decretum personalitatem acquirere possint.

Obiicit Rev.mus Secretarius Ad. melius esse si etiam « ipso iure » personalitate in iure canonico donentur. Sufficeret, ratione prudentiae, ut in canone haec poneretur conditio: statuta istarum personarum recognoscenda sunt ab ecclesiastica auctoritate. Proponit ergo Rev.mus additionem cuiusdam § 3, quae ita sonaret:

« Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta ab Auctoritate ecclesiastica sint probata ».

Cum quaestio terminologica clarificanda certo certius videtur, e.g. quoad verbum « *erectio* », quaerit Ill.mus sextus Consultor an non esset melius in § 1 dicere: « *constituuntur* » loco « *eriguntur* ».

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Ad. erectionem reservandam esse semper ad Auctoritatem.

Fit adhuc discussio et tandem approbatur ut formula huius canonis adhuc a Consultoribus perpendatur. Provisorie tamen ita recipitur:

§ 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti eriguntur ac depuntantur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta ab Auctoritate ecclesiastica sint probata.

*Canon 5* (cfr. can. 100, 3 CIC)

Textus qui proponitur est sequens:

Personae canonicae seu iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, minoribus aequiparantur.

Loco « minoribus aequiparantur », Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et accipitur, ut dicatur « *gaudent favoribus quibus in iure pollent minores* ». Placet.

Nulla alia fit animadversio ideoque textus approbatur cum supradicta emendatione.

*Canon 6*

Ita sonat textus propositus:

Personam canonicam publicam repreäsentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad norman iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia statutis tribuitur.

Textus approbatur ut iacet cum hac tantum emendatione, latinitatis causa: in fine canonis dicatur «per statuta tribuitur», loco «statutis tribuitur».

*Canon 7 (cfr. can. 101 CIC)*

Formula quae proponitur est sequens:

§ 1. Ad actus quod attinet: qui ponuntur a persona canonica collegiali, aut a quovis Collegio personam canonicam moderante:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio eorum qui suffragium ferunt (vel: eorum qui sunt praesentes); quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

§ 2. Ad actus quod attinet personarum non collegialium, serventur particularia statuta, ac normae iuris quae easdem personas respiciunt.

Placet omnibus, proponente Rev.mo octavo Consultore, ut in initio canonis dicatur «Ad actus collegiales quod attinet», et deleantur verba sequentia «qui ponuntur... moderante». Actus enim collegiales poni possunt uti iam dictum est (cf. disceptationem de canone 3) sive a persona collegiali, sive etiam a persona non-collegiali.

Quoad § 2, lin. 4, ubi de tertio scrutinio sermo est Rev.mus quartus Consultor praefert, inter duas formulas propositas, expressionem « qui suffragium ferunt », ne praemium detur — ait Rev.mus — iis qui se abstinent.

Rev.mus primus Consultor quaerit quid praecise significet locutio « eorum qui suffragium ferunt »: valetne scheda alba?

Negative respondet Rev.mus Secretarius Ad., quia regula est ut computentur solummodo vota valida.

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. dicit se stare pro formula « eorum qui sunt praesentes ». Etiam in suffragationibus Concilii Vaticanii II haec regula generatim adhibita est.

Alii tamen Consultores diversam tenent sententiam.

Fit ergo suffragatio, cuius exitus est:

Placet formula « eorum qui sunt praesentes » n. 6.

Non placet n. 3 (Exc.mus tertius, Rev.mi quartus ac primus Consultores).

Ill.mus sextus Consultor animadvertisit quoad n. 3<sup>um</sup> hanc regulam venire a tempore in quo distinctio inter actus singulares et actus collegiales non clare habebatur, quapropter hic textus perficiendus esse videtur.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores et Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « Quod autem omnes, ut singulos, iura collegalia exercentes, tangit... ». Ita — ait Rev.mus — ostenditur hic non agi de iuribus subiectivis sed de iuribus collegialibus quae singulis tangunt.

Formula tamen quae proponitur non placet et cum nulla alia invenitur quae parti maiori Consultorum placeat, approbatur ut textus maneat sicuti est.

Denique, Rev.mus octavus Consultor delendam proponit § 2, quia videtur non necessaria.

Animadversio accipitur.

Textus ergo huius canonis ita emendatus proponitur et suffragatione approbatur:

« Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio, eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent,

placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3º Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet. ».

*Canon 8* (cfr. can. 102 CIC)

Haec est formula proposita:

§ 1. Persona canonica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a legitima auctoritate ecclesiastica supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona canonica insuper extinguitur, si voluntate membrorum aut fundatorum consociatio aut institutum supprimitur.

§ 2. Iurum patrimonialium et bonorum personae canonicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est pubblica, statutis propriis, si est privata.

Quoad §1, animadvertisit Rev.mus quartus Consultor ut si quis foundationem facit, istius foundationis non remanet dominus, ergo fundatio nequit extingui ex voluntate fundatoris.

Ad mentem tamen Rev.mi Secretarii bonum esset si talis possibilitas in textu servaretur. Nihil obstat quominus in actu foundationis fundator praevideat quid faciendum sit si fines foundationis adimpleri non valeant. Alioquin bona liberata ex extinctione personae canonicae Statui transire possunt.

Iudicium de impossibilitate adimplendi fines — arguit Exc.mus tertius Consultor — non expectat ad fundatorem, neque ad ipsius heredes eoque minus ad auctoritatem civilem, sed expectat ad auctoritatem ecclesiasticam publicam.

Ill.mus sextus Consultor hoc non negat, sed adiungit conditiones iuxta quas exstinctio personae declaranda sit in statutis praevideri posse.

Exc.mus tertius et Rev.mus quartus Consultores dicunt quaestionem esse diversam in casu foundationis: hic est tantum Auctoritas ecclesiastica illa quae iudicare debet de adjunctis in quibus fundatio cessat.

Rev.mus Secretarius animadvertisit quod in casu foundationis privatae, diversa ergo ab illis foundationibus de quibus in hodierno Codice, Auctoritas non acceptat bona foundationis, quae remanent privata. Ipsa auctoritas potest personalitatem iuridicam foundationi tollere, sed bona remanent in proprietate foundationis. Quaestio ergo est de exstinctione foundationis privatae: quis iudicat?

Rev.mus Secretarius Ad., his omnibus attentis, novam proponit formulam, videlicet:

« ...; persona canonica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio voluntate membrorum supprimatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae ipsa fundatio ad normam statutorum extinguatur ».

Quaerit Ill.mus sextus Consultor num iudicium de opportunitate extinctionis personae canonicae, sive publicae sive privatae, relinquendum sit ad absolutam discretionalem auctoritatis publicae. Hoc si ita fiat — ita Ill.mus — forsitan foveretur aliquibus in casibus periculum arbitrarientis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. semper adesse pro fidelibus possibilitatem recurrendi.

Quaerit tamen Ill.mus sextus Consultor quomodo fieri possit huiusmodi recursus administrativus. Supremum enim Tribunal Signaturae Apostolicae statuit recursum solummodo poni posse si habetur legis violatio. Sed si lex non adsit, cui Auctoritas teneatur, nemo recurrere posset, quia numquam haberetur legis violatio.

Cum dictis ab Ill.mo sexto Consultore alii concordant Consultores. Accedit etiam Rev.mus Secretarius Ad., qui sequentem proponit formulam pro integra § 1 canonis:

« Persona canonica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competente auctoritate ecclesiastica legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona canonica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio voluntate membrorum supprimatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae competentis ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit ».

Facta suffragatione haec formula omnibus placet.

Nulla animadversio fit ad §2.

Rev.mus Secretarius Ad. sentetiam exquirit Consultorum quoad necessitatem servandi vel minus in novo Codice praescriptum can. 102, § 2.

Approbatur ut talis norma fiat § 2 canonis (§ 2 esset § 3) sub formula sequenti:

« Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, omne ius communitatis in illud membrum recidit ».

#### ALIAE QUAESTIONES CONEXAE PROPONUNTUR

Rev.mus octavus Consultor novos canones de personis iuridicis proponit introducendos, videlicet:

« Personae iuridicae ecclesiasticae capacitatem iuridicam in iure quoque civili acquirant, quatenus opportune fieri possit ».

(Rationes quae a Rev.mo dantur sunt: *a*) de facto haec norma consuetudine iam introducta est; *b*) capacitas iuridica civilis in commercio sociali est necessaria).

« Persona iuridica ecclesiastica, quae tota vel partim capacitatem iuridicam in iure quoque civili gaudet, vel partem constituit entis, quod capacitate iuridica in iure civili gaudet, utriusque iuris canonici et civilis normis manet obnoxia ».

(Ratio huius propositionis ita datur: Saepe saepius persona iuridica ecclesiastica « convertitur », tota vel partim, in ens civile, vel plures personae ecclesiasticae simul « convertuntur » in unum ens civile; vel persona iuridica ecclesiastica unitur enti civili. Inde qua entia civilia necessario cadunt sub lege civili, tamen qua personae iuridicae ecclesiasticae inde non eximuntur a lege canonica).

Quoad primam propositionem, Rev.mus Secretarius Ad. censet eam esse regulam quae iam ex se patet. Cum agatur de necessitate practica, omnes hoc iam practice faciunt.

Praeterea, si persona sit publica decisio ultima pendet ab Auctoritate, dum pendet ab ipsa persona si sit privata.

Etiam alii Consultores dubitant de necessitate vel de opportunitate includendi hanc formulam.

Facta suffragatione, approbatur ut nihil dicatur de duobus formulis propositis (secunda enim propositio pendet a prima).

## II

### SCHEMA CANONUM PROPONITUR DE ACTIBUS IURIDICIS

In schemate hoc — cuius titulus provisorie admittitur ut sit « de actibus iuridicis » — ratio habetur animadversionum quae de praescriptis canonum 103-105 hodierni Codicis a doctrina canonica factae sunt. Quapropter — ait Rev.mus Relator — in redactione canonum, qui proponuntur uti basis disceptationis, id praesertim intenditur:

1° ut logica habeatur praescriptorum expositio (ad hoc quod attinet, dubia videri potest solutio quaestionis utrum de effectu doli in actus iuridicos tractari debeat in praescripto quo determinatur etiam effectus metus in eosdem actus, ut fit in Codice, can. 103 § 2, aut in praescripto in quo definitur effectus erroris in eosdem aut in canone speciali);

2° ut, quantum possit fieri, vitetur dicendi modus qui dubiis ansam praebere potest, et certae tradantur normae;

3º ut modus dicendi sit semper sibi constans, atque ideo praescripta, quantum fieri possit, ipsos actus iuridicos respiciant.

Uti patet in canonibus sermo est de negotiis iuridicis, idest de actibus qui ponuntur ut effectus iuridicus producatur. Actus ergo iuridicus hic intelligitur uti negotium iuridicum, non ut simplex factum iuridicum (quod, iuxta notam distinctionem quae in doctrina canonica fit, ponuntur absque voluntate effectus iuridicos producendi).

*Canon 1* (cfr. can. 103 CIC)

Textus qui proponitur est sequens:

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa resistere non potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

In § 1, lin. 1 verbum « ipsa » ponitur — ait Rev.mus Secretarius Ad. — claritatis causa.

Obiicit Rev.mus Secretarius hoc bene patere in casu personae physicae, sed praescriptum valere quoque debere pro persona morali, e.g. quoad vim capitulo factam.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc in casu vim esse coactionem omnibus membris capituli singulariter factam.

Rev.mus quartus Consultor faciendam esse censet distinctionem inter vim absolutam, cui nemo resistere potest, et vim relativam cui resistantia opponi valet. Distinctio videtur essentialis, quia si agitur de vi absoluta actus humanus non exsistit, ideoque neque actus iuridicus, dum in casu vis relativae actus exsistit etsi sit defectuosus.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod si pro aliqua persona vis, et si theorice relativa, est de facto absoluta, actus revera non exsistit propter defectum consensus.

Accedit Rev.mus quartus Consultor qui tamen postulat ut concordia instauretur inter § 1 et § 2 ubi videtur agi de vi relativa.

Differentia potius ponitur — obiicit Rev.mus primus Consultor — inter causas et effectus: in § 1 causa potest esse absoluta vel relativa, sed effectus est semper absolutus; e contra in § 2 res diverse se habet, quia causa semper est relativa.

Rev.mus Secretarius quaestionem ponit de differentia inter actum inexistentem et actum nullum, sed respondet Rev.mus Secretarius Ad. actum nullum esse semper inexistentem quoad effectus iuridicos.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut § 1 agat de actibus « involuntariis », qui ponuntur ex vi ab extrinseco personae illata, dum in § 2 sermo fiat de actibus voluntarie positis sed defectuosis. His tamen non accedunt accedunt alii Consultores quia — uti ait Rev.mus Secretarius Ad. — theoriae diversae habentur circa naturam actus voluntarii.

Censet Rev.mus primus Consultor in § 1 loquendum esse de coactione physica aut vi, et in § 2 de coactione morali aut metu.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. in § 1 agi de vi quae absolute tollit consensum ideoque actus reddit infectos: et hoc dari etiam potest in casu vis seu coactionis moralis, non tantum physicae.

Ill.mus sextus Consultor proponit ut servetur textus actualis can. 103 § 1, singulari forma tamen redactus, atque dempta distinctione personam physicam inter et moralem. Hic textus habet pro se favorem traditionis et doctrinae. Quidquid sit de hac re — concludit Ill.mus Vir — in sede legislativa recipienda non videtur distinctio inter actum inexistentem et actum nullum.

Fit adhuc discussio, in cuius fine sequens formula suffragationi submittitur:

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa *nequaquam* resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus *ex alia vi et metu* gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio ».

Hic textus emendatus omnibus placet.

#### Canon 2 (cfr. can. 104 CIC)

Textus qui proponitur ita sonat:

Actus positus ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem *sine qua non*, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed contractus ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

In hoc canone agendum etiam est — censet Rev.mus quartus Consultor — de ignorantia, quae influit in intellectum, sicut error. Huic animadversioni accedunt Rev.mus secundus et alii Consultores.

Rev.mus Secretarius Ad. obiicit ignorantiam incidere non posse in conditionem « *sine qua non* », quia ignorantia est actus negativus dum conditio est actus positivus.

Hoc tamen negat Rev.mus primus Consultor dicens in textu agi de conditione iuridica, in lege posita. Accedit Rev.mus Secretarius Ad..

Quaerit Rev.mus Secretarius quid si ignorantia sit culpabilis? Sed, cum iam in textu dicatur actionem rescissoriam dari « ad normam iuris », videtur sufficere — et ita quaestio solvit — ut in canonibus de processibus clare appareat talem actionem dari non posse si ignorantia sit culpabilis.

Denique proponitur ut in lin. 3 dicatur « actus » loco « contractus », quod placet:

Textus ergo quem, facta suffragatione, Consultores approbant est sequens:

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa il quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nis aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris ».

*Canon 3* (cfr. can. 105 CIC)

Ita sonat textus quem proponit Relator:

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1º Si consensus exigatur, invalidus es actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis; si consilium tantum requiratur, per verba ex. gr.: de consilio consultorum, auditio Capitulo, Consilio presbyterali, parocho, etc., invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior, tamen, licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat.

2º Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocandae sunt et mentem suam aperire possint; et si non convocantur, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4.

3º Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate, sententiam suam proferre.

4º Superior, pro sua prudentia ac negotiorum gravitate, potest easdem personas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum.

Ill.mus sextus Consultor obiectionem movet contra exemplificationem quae fit in n. 1º (per verba ex. gr.: de consilio consultorum, auditio Capi-

tulo, Consilio presbyterali, parocho, etc. »). Talis exemplificatio non videatur necessaria neque a periculis exempta.

Cum his concordant Rev.mus Secretarius et alii Consultores. Contrariam tenet sententiam Rev.mus Secretarius Ad. dicens exemplificationem utilem esse pro non versantibus in iure canonico.

Fit suffragatio cuius exitus est:

Placet ut deleantur verba incriminata: n. 6

Non placet: n. 2

Abstensiones: n. 1.

Omnis tamen sunt concordes ut in novo Codice — secus atque in vi-genti Codice accidit — apte determinari debeat casus in quibus consen-sus demandandus est et sub qua forma.

Rev.mus octavus Consultor hanc emendationem faciendam proponit in ipso n. 1º: « ... Superior, licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedere, *tamen*, sine praevaleenti ratione ... ». Adest enim in casu vera obligatio moralis. Propositio accipitur.

Quoad n. 2º ipse Rev.mus octavus Consultor expostulat ut loco « et si non convocantur » dicatur « secus ». Ita clarius videretur actum Superioris esse invalidum, cum si non ipsi convocentur tum si convocati mentem suam aperire non possint.

Animadversio omnibus placet, sed textus definitivus qui, ad mentem Rev.mi octavi Consultoris approbatur, est sequens:

« ... omnes quorum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur et mentem suam aperire possint; et si non convocantur, aut si illis non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est... ».

Denique, proponente Exc.mo tertio Consultore, ita emendatur textus in n° 3º: « ... qua par est reverentia, sincere sententiam suam proferre ».

Ad textum sub n° 4 positum nulla fit animadversio, ideoque approba-tur uti iacet.

#### ALIAE PROPONUNTUR QUAESTIONES CONEXAE

1) Rev.mus quartus Consultor expostulat ut agatur etiam de simulatio-ne et tres proponit regulas:

a) Si una pars, alia parte invita, facit reservationem aliquam relate ad obiectum contractus, et quae mutat ipsius contractus substantiam, ius non agnoscit nec tuetur illam reservationem;

b) Quando una pars reservationem quam facit alteri innotescit, sed haec altera pars illam reservationem non admittit, actus iuridicus est fundamentaliter nullus;

c) Si utraque pars de aliqua facienda reservatione unanimis est (quae tamen non exprimitur), agitur hoc in casu de actu ficto, et nulla pro tali actu habetur tuitio iuris; talis actus ergo est nullus.

Alii Consultores accedunt quoque ut sub hoc ipso titulo « De actibus iuridicis » agatur de simulatione quae procul dubio dari potest in ambitu iuris canonici (e.gr. in matrimonio, in professione religiosa, etc.) et non solvitur per regulas in iure civili statutas pro simulatione in contractibus.

2) Alia norma includenda proponitur a Rev.mo quarto Consultore nempe: si omnia membra alicuius personae collegialis vim patiuntur ea valent in casu quae statuta sunt de vitiis consensus pro persona physica; sed si vim patitur unum vel aliud membrum actus collegii validus est, nisi actus eius qui vim passus est esset decisivum pro actu collegiali ponendo.

Propositio recipitur.

Notatum tamen est quod si actus valet, locus dari debet ad actionem rescissoriam, quia suffragium potest esse secretum.

3) Tertia norma addenda proponitur a Rev.mo quarto Consultore nempe de restitutione et de damno reparando, etiam si culpa sit tantum iuridica, non moralis.

Omnes Consultores concordant ut etiam de hoc detur regula.

4) Principium proponitur perpendum ab Ill.mo sexto Consultore, cui accedunt Rev.mi quartus, octavus et alii Consultores, videlicet: de ampliore canonizatione iuris civilis in materiis economicis. Ius nempe negotiale canonicum estne necessarium et quo gradu?

Propositio placet. Attamen non hic, sed in aliis locis Codicis considerari debet.

5) Alia ponitur quaestio ab Ill.mo sexto Consultore nempe de distinctione quoad negotia iuridica, inter ius publicum et ius privatum. Ita, ex. gr. de responsabilitate: in actibus privatis, vel etiam in actibus administrativis gubernii.

Huic quoque propositioni ceteri accedunt Consultores, et demandatur ab Ill.mo sexto Consultore ut propositionem concretam faciat pro proxima sessione.

6) Ipse Ill.mus sextus Consultor expostulat, et accipitur, ut de universo iure de negotiis iuridicis in Ecclesia denuo agatur in proxima sessione huius Coetus. Sunt enim momentosae quaestiones quae integrum respiquent Codicem, et nunc tantum primo ictu pertractatae sunt.

7) Denique proponitur a Rev.mo quarto Consultore ut perpendatur etiam quaestio de confirmatione actuum iuridicorum a Superiore, quando scilicet agentes licentiam aut consilium Superioris exquirere debeant.

Quidam tamen Consultores censem de hoc forsitan aptius tractandum esse ubi de actibus administrativis.

Concludit quidem Rev.mus Relator adhuc plures esse quaestiones quae accuratius perpendi debent. Quapropter omnes Consultores rogan- tur ut suas propositiones pro proxima sessione faciant. Interim vero, ipse Rev.mus Secretarius Ad. censem propositiones sub praecedentibus numeris 1-3 factas sic recipi posse, saltem provvisorie:

#### *Canon 2 bis*

« Actus Collegii: si omnia Collegii membra ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint, invalidus est; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris. ».

#### *Canon 4*

« Simulatio circa aliquam clausulam in contractu expressam, si facta fuerit ab alterutra parte, altera inscia, non facta censetur; si facta fuerit ab alterutra parte, altera conscientia, aut ab utraque parte, contractus est nullus ».

#### *Canon 5*

« Quicumque actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum. ».

De his tamen formulis nulla fit disceptatio in hac sessione studii.

### III

#### QUOAD CANONES 106 ET 107 HODIERNI CODICIS

##### *De praecedentia (can. 106)*

Haec est quaestio a Rev.mo Relatore posita: Utrum aliqua norma de praecedentia in Codice Iuris Canonici ponenda sit et, quatenus affirmative, utrum servandae sint normae canonis 106.

Sententiae quae exponuntur in disceptatione sunt diversae, et ita colligi possunt:

1) Etsi quis potest dicere praecedentiam contra spiritum Evangelii esse, certo certius in societate humana et organica quae est etiam Ecclesia peregrinans necessitas practica habetur ut regulae de praecedentia aliquo modo statuantur. Ita manifestatur structura organica Ecclesiae et vitatur confusio. Fidelitas ad spiritum Evangelii magis pendet a spiritu ipso quo praecedentia ordinetur.

In hoc omnes Consultores sunt concordes.

2) In Codice tamen regulae de praedentia non ponantur. Tales normae aptius per alia documenta dentur: ex. gr. per instructiones. Praecedentia non concipitur ut ius strictum, ideoque ordinanda non videtur ubi tantum de iuribus et obligationibus agendum est. De facto, in societate civili praecedentia non ordinatur in Codice. (Exc.mi tertius, septimus, quintus et Rev.mus octavus ac Ill.mus sextus consultores; Rev.mus Secretarius Ad.).

3) Regulae de praecedentia ponantur in Codice, saltem normae generaliores quae indolem iuridicam habeant, quia alia legislatio generalis in Ecclesia non habetur (Rev.mi quartus et primus Consultores; Rev.mus Secretarius).

His prae oculis habitis et, ut concordia habeatur, sequens proponitur solutio, quae suffragationi submittitur:

«Regulae generaliores de praecedentia in quodam appendice Codicis ponantur, uti fit ex. gr. cum Const. pro eligendo Romano Pontifice».

Placet omnibus ut ita fiat.

#### *De personis in Ecclesia* (can. 107)

De sententia omnium Consultorum, haec quaestio non hic, sed in Lege Fundamentalis Ecclesiae tractari debet.

## IV

### DE NOTIONE OFFICII ECLESIASTICI

Postquam lecti sunt a Relatore canones 145-146 hodierni Codicis atque § 2, n. 20 Decr. *Presbyterorum Ordinis*, proponitur a Rev.mo Secretario Ad. ut accipiatur definitio officii ecclesiastici uti iacet in textu supradicti Decreti, nempe: «munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum».

Obiicit tamen Rev.mus quartus Cnsultor non omnia quae officii sunt propria in hac definitione inveniri. Fundamentum enim officii ecclesiastici est certus complexus munorum in societate, cui accedit certus complexus facultatum, quae necessariae sunt ad talia munera exercenda. Tantum habetur officium ecclesiasticum quando aliqua habetur participatio in munera ipsius Ecclesiae.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet mentem Concilii non ita esse quia, cum ex ipso textu Decreti *Presbyterorum Ordinis* tum etiam ex historia textus, clare apparet ut officium non necessarie connecti debeat cum potestate ecclesiastica. His dictis accedunt Exc.mus tertius, Rev.mus secundus et alii Consultores.

Intercedit Ill.mus sextus Consultor dicens duas supradictas sententias veritate quidem niti, quia: 1) vel officium sumitur eius latiore sensu, nempe quodcumque servitium Populo Dei a quacumque persona factum; 2) vel officium sumitur sensu stricto, per referentiam scilicet ad solas institutiones vel structuras quibus potestas ecclesiastica exercetur. Forsitan — concludit Ill.mus — consideratione omnium officiorum in specie, generalis deinde erui possit definitio officii.

Possumus dare definitionem officii — ait Rev.mus Secretarius Ad. — sicut prostat in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, cum hac vero additione: adsunt officia quae participationem secumferunt in potestate ecclesiastica; alia officia eam participationem non habent. Huic accedit Exc.mus tertius Consultor, qui memorat in Concilio vitatam esse divisionem officia stricto sensu inter et officia lato sensu, ne ista ultima considerarentur ut officia minora secundi gradus.

Ad mentem Rev.mi primi Consultoris notio officii quae a Concilio datur est valde ampla et institutionalizatur in pluribus officiis concretis. Si agitur tantum de vero officio ecclesiastico, quod scilicet nomine Ecclesiae exercetur, tum necesse est ut secumferat participationem aliquam in potestate ecclesiastica.

Rev.mus octavus Consultor dubium dicit se habere quoad mentem Concilii, nempe: fuitne ut omnes qui aliquo modo aliqua faciunt in servitium Ecclesiae dicantur semper officium ecclesiasticum exercentes? Oportet enim distinguere notionem iuridicam inter et notionem theologicam officii.

Rev.mus quartus Consultor memorat quod in ipsa notione officii a Concilio tradita dicitur « munus stabiliter collatum », dum ipsum officium episcopale ad tempus aliquo modo delineatum fuit, et idem factum est pro officiis ecclesiasticis Curiae Romanae in Cost. *Regimini Ecclesiae universae*.

Respondet Rev.mus secundus Consultor quod Patres conciliares noluerunt determinare quid sub notione stabilitatis officii intelligi debeat.

Rev.mus Secretarius Ad. adiungit mentem Patrum esse ut non ad actum sed per annos officia ecclesiastica conferantur.

Pro omni collatione officii — intercedit Rev.mus primus Consultor — intelligitur, ad normam can. 153, ut officium sit vacans ideoque supponitur officium antea constitutum esse. Acceptari ergo debet stabilitas talis ut requiratur constitutio officii, saltem pro officii institutionalibus.

Hic accedit Rev.mus Secretarius qui proponit ut officia dividantur in officia institutionalia et non institutionalia, etiam si antea notio generalis officii detur.

Fit adhuc discussio de hac re sed cum eadem plus minusve repetantur argumenta, sequentes propositiones a Relatore suffragationi submituntur:

A. — «Utrum omnes consentiant in receptione definitionis officii quae a Concilio data est».

Placet omnibus, excepto Rev.mo quarto Consultore (ad cuius mentem notio Concilii est insufficiens, quia exprimit utique praecipuam functionem officii, sed non omnia elementa quae pro notione officii ecclesiastici necessaria videntur).

B. — «Utrum placeat pro proxima sessione apparare vota circa: 1. um) quaestionem de determinatione elementorum quae officium ecclesiasticum constituunt (de stabilitate, etc.); 2.um) quaestionem de collatione seu provisione officiorum et de presentatione (cf. can. 147-182 CIC)».

Placet omnibus.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus in hac sessione pertractandis, preces de more dicuntur et finis laboribus imponitur.

Romae, die 9 Novembris 1968.

I. HERRANZ  
*Actuarius*

APPENDIX  
CANONES APPROBATI

I. DE PERSONIS MORALIBUS SEU CANONICIS

*Canon 1* (CIC 99)

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

*Canon 2* (CIC 100)

Personae iuridicae costituuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concessione per formale decretum data, sive communites personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

*Canon 3* (CIC 99 et 100)

§ 1. Personae canonicae seu iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus aequalium, cuius membra aequali iure, ad normam iuris et statutorum, actionem communem determinant.

§ 3. Universitates rerum constant bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, easque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive personae physicae sive Collegium personarum.

*Canon 4* (novus)

§ 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communites ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti eriguntur ac deputantur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem

personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitem concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica sint probata.

*Canon 5 (CIC 100 § 3)*

Personae canonicae seu iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

*Canon 6*

Personam canonicam publicam rapraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

*Canon 7 (CIC 101)*

Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio, eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

*Canon 8 (CIC 102)*

§ 1. Persona canonica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competente auctoritate ecclesiastica legitime supprimatur aut per centum

annorum spatium agere desierit; persona canonica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio voluntate membrorum supprimatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, omne ius communitatis in illud membrum recidit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae canonicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

## II. DE ACTIBUS IURIDICIS

### *Canon 1 (CIC 103)*

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

### *Canon 2 (CIC 104)*

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

### *Canon 3 (CIC 105)*

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorum indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis; si consilium tantum requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedere, tamen, sine praevaleenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat.

2° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur et mentem suam aperire possint; et si non convocantur, aut non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4.

3° Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ea qua par est reverentia sincere sententiam suam proferre.

4° Superior, pro sua prudentia ac negotiorum gravitate, potest easdem personas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum.